uerbis, nos olim omnes huius mali auctores alloqueretur videre
mihi videor uerba illa tanquam fulgura quædam, siue tonitrua
ab illius ore denuo procedere, itane uos domum meam domum
orationis, in speluncam latronum muneris uestris instrument
is conuertistis? ex asylo et perfugio foueam et laberintha,
ex Sanctuario locoq habitationis gloriæ Dei vestri, scholam
diaboli, nefandæ Cypridis palæstram, locum iræ et indignati
onis fecistis? sic inquam nos alloqueretur olim tremendus
ille iustusq Iudex, adhuc ne igitur ô pestis et exitium
musica instrumenta, vitiorum rectius dixerim instrumenta
et cum neruis fidibusq sitis instructa, tamen sine fide
estis, et eneruare animos, et corpora soletis, adhuc ne ad
itum ad sacratissima huius templi limina tentare audet
is? adhuc ne ex ornatissimo hoc consessu qui causam vestram
agat expectatis? adhuc ne inanis cuiusdam spei reliquiæ ani
is uestris inhærent? ut locum, vt angulum aliquem in ce
leberrimo hoc cœnobio, qui vos accepturus sit habitura speratis?
Ite currite in Græciam, ad uestras illas Athenas conuolate
quarum uos optimos mores corrupistis, ite Romam orbis
terrarum dominam, quam uos eneruastis luxum induxistis
sed luctum quoq dedistis. currite nunc ad Martinum illu
Lutherum, quem uestris quoq illecebris non parum ad mundi
illecebras, redire docuistis, peregrinate modo ad Constanti
nopolitanu imperium, quod uos uos impii proditores, primo
decrescere, ac tandem heu nimium flebili et miseranda
Christianis omnibus ruina obrui fecistis. iam ne cognoscitis

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 288r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/288r)